

hist
3'

74 #B

Hist. Britan.
Miscell. ~~1506~~ 869.

27. 28

DE BELGICIS,
ANGLICIS, REGINÆ
SCOTIÆ, HISPANICIS, ET
GALLICIS REBUS:
recens allata.



Excusum
M. D. LXXXVII.

50

DE REBUS BELGICIS

Anglicis, Gallicis, &c.



Bi Comes Leicestrius, Angliæ reginæ in Belgio pro rege, Zutphaniam vidisset à Parmensi annona subleuatam: & exercitum duorum millium equitum, totidemq; peditum Holsatorum & in reliqua Saxonia collectorum, vltro fuisse dissipatum: castra ad hiberna, Dauentriæ, & locis vndiq; vicinis, oppidisq; proximis ac pagis disposuit: Ita tamen, vt Zutphaniam (est enim Dauentria ad duo milliaria) prope modum obsideat, saltem impedit, ne commeatus in eam maior importetur. Quam urbem Dauentriam proditione cepit.

Insulam Zutphanie propinquam, in qua munitio est, deseruit, eamq; Regij occupant. Vicissim Regij, maiorem munitioem, quam ad urbem Zutphaniam erexerant cis Issulam fluuium, dereliquere. Angli desertam à Regijs tenent.

Anglorum exercitus Imperator non est Leicestrius, sed Gulielmus Pellamus Anglus.

A 2 Euoca

Euocatur autem Leicestrius propter
regni Comitata, quæ propter hoc bellum habebun-
tur, & vt ex eorum authoritate statuatur, de tol-
lenda vltimo supplicio Maria Scotiæ Regina,
quod Elizabethæ Reginæ vitæ, facta coniura-
tione, postremò fuerit insidiata. Processus eius
criminalis est factus ex iudiciorum more, & ex
eo concepta in illam ferenda Capitis sententia.
Illa verò Londinum est ducta, & Turris Londi-
nensis carceri imposita, in quem principes viri, vl-
timo supplicio afficendi, solent conijci. Lega-
tus in Galliam missus ad Regem fertur, cum con-
cepta in eam, Mariam Reginam, sententia, vt
eam Rex, viso processu, probet, Fuit enim Fran-
cisci secundi coniunx.

Vt igitur Comes Leicestrius in Angli-
am ad comitia uehatur, cum aliquanta classe
Franciscus Dracus nobilis pirata ex India, re
non malè gesta reuersus, in Zelandiam venit.

Alter Pirata, cum classe in Draci locum iuit
in Indiam. Visas ferunt quatragesima tres eius na-
ues, perquam instructas. Nonnulli aiunt, incer-
to tamen rumore, alteras octo, quæ sequebantur
fortassis

fortassis, ab Hispanica classe depressas. Illa
quadraginta tres sese ostentarunt in Gallicia
ad Baionæ portum.

Econtrario rex, Cantabricas, Hispani-
cas & Lusitanicas naues, Olisiponem conuenire
iussit. Aliqui Gallicas aliquot, ex Gratia
portu illis coniungendas, vel fortè coniunctas
existimant. Rumor spargit, hanc classem in
Anglos ad proximam aestatem colligi.

PA**R** mensis ubi conspexit Leicestrium mili-
tes ad hyberna distribuisse, idem fecit: & su-
um ad Vezaliam & circum vndiq; collocavit.
Ipse verò Bruxellam est profectus, vt Bel-
gicum, inopia commeatus & Anglorum ex-
cursionibus fatigatum, paulò subeluet, atq; au-
toritate sua, dubitantes confirmet. Tum &
vt legatos Parmenses & Placentinos, ad eum
propter Octauij patris obitum missos, excipiat,
& ab eis, præstandæ fidei Iuramentum nomi-
ne omnium recipiat, & à nobilibus eius sub-
ditis. Tum etiam audiat reliquos Legatos
qui ad eum venere, Octauij mortem ei condoli-
turi

turi. denique vt *Andree*, *Equitum aurei* vel-
leris *Tutelar*is diui, festum, solenni more cele-
bret.

Berchum tamen non deseruit.

Anglorum consilia eò tendunt, ne *Regis*
commeatus in *Belgium* possit inferri, vt fame
subigant *Regios*, quos armis vincere nequeunt.
Propterea decem naues militares, *Batani*, ostio
Albis ad *Hamburgam* recens immisere, quibus
adnauigantes ea ex vrbe naues *Dunkercham*
vehentes commeatum aut merces, diripiant. Re-
cens duæ naues, in eodem flumine, diuites admo-
dum, submersæ sunt.

Angli verò *Pirata*, in *Hispania*, naues
duas ex *S. Thomæ* insula *Lusitanorum* Inaica
ceperunt, cū insulæ cum præfecto. Vna vehebat vi-
ginti quinque millia coronatorum, quæ in *Angliæ*
portu perijt. altera ibidem cum eo præfecto salua
adpult, qui in *Angliam* captiuus est ductus.

Legati principum protestantium ad *Regem*
Galliæ redierunt, cum responso, *Regem* quæ pe-
terent,

terent, quoniam sancto fœderi Catholicorum no-
men dederit, facere non posse. Pétebant autem
à Rege, vt pactam ab hinc decennium cum Na-
uarræo rege pacem ac socys seruaret.

Nullum exercitum nunc habet. nam vtrum-
que, propter annonæ angustias, nimirum Dumai-
nei & Valletæ, ad biberna dimisit, & Germanos
exauctorauit. Pecunia etiam stipendys deest.

Nauarreus & socij habent in sua potesta-
te ducenta & quinquaginta oppida munita, &
quingentos ac triginta vicos, & arces etiam, quæ
possint aduersariorum vires sistere aliquandiu. ac
nunc primùm ceperunt arcem Raneroiam, non
procul Mariæburgio: ex qua, Dinanto &
Namurco, alijsq; vicinis prouincijs o-
mnem commeatum possunt interci-
pere. dicitur Comes Turraniæ
eam arcem cepisse. Ex
Colonia. XIX.

Novemb.

ANNO LXXXVI.

... p... ..
... ..
... ..
... ..

... ..
... ..
... ..
... ..

... ..
... ..
... ..
... ..

... ..
... ..
... ..
... ..

... ..
... ..
... ..
... ..

Hist. Britan. E. 319 -2

